B. MARIÆ VIRGINIS REGINÆ

Duplex II classis

Introitus

GAUDEÁMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis Regínæ : de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei (T. P. allelúja, allelúja). Ps. 44, 2. Effúndit cor meum verbum bonum : dico ego carmen meum Regi. ℣. Glória Patri. Gaudeámus omnes.

Oratio

CONCÉDE nobis, quǽsumus, Dómine : ut, qui solemnitátem beátæ Maríæ Vírginis Regínæ nostræ celebrámus; ejus muníti præsídio, pacem in præsénti et glóriam in futúro cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Petronillæ Virginis :

Oratio

EXÁUDI nos, Deus, salutáris noster; ut, sicut de beátæ Petroníllæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ
Eccli. 24, 5 et 7, 9-11, 30-31

EGO ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram; ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. In omni terra steti, et in omni pópulo, et in omni gente primátum hábui, et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi. Qui audit me, non confundétur, et qui operántur in me, non peccábunt; qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Allelúja, allelúja. ℣. Beáta es, Virgo María, quæ sub cruce Dómini sustinuísti.

Allelúja. ℣. Nunc cum eo regnas in ætérnum. Allelúja.

Extra Tempus Paschale

Graduale. Apoc. 19, 16. Ipse habet in vestiménto et in fémore suo scriptum : Rex regum, et Dóminus dominántium. ℣. Ps. 44, 10. Regína adstat ad déxteram ejus, ornáta auro ex Ophir.

Allelúja, allelúja. ℣. Salve, Regína misericórdiæ, tu nos ab hoste prótege, et mortis hora súscipe. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam Lc. 1, 26-33

IN illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit : Ave, grátia plena :

Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus. Quæ, cum audísset, turbáta est in sermóne ejus : et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei : Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum : ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus : et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis.

Credo.

Offertorium. Regáli ex progénie María exórta refúlget; cujus précibus nos adjuvári, mente et spíritu devotíssime póscimus (T. P. allelúja).

Secreta

Accipe, quǽsumus, Dómine, múnera lætántis Ecclésiæ, et, beátæ Vírginis Maríæ Regínæ suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium proveníre concéde. Per Dóminum.

Pro S. Petronilla *Secreta*

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum : quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Festivitáte.

Communio. Regína mundi digníssima, María Virgo perpétua, intercéde pro nostra pace et salúte, quæ genuísti Christum Dóminum, Salvatórem ómnium (T. P. allelúja).

Postcommunio

Celebrátis solémniis, Dómine, quæ pro sanctæ Maríæ, Regínæ nostræ, festivitáte perégimus : ejus, quǽsumus, nobis intercessióne fiant salutária; in cujus honóre sunt exsultánter impléta. Per Dóminum.

Pro S. Petronilla *Postcommunio*

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Imprimatur.

Turonibus, die XXVII Augusti MCMLV.

† LUDOVICUS JOSEPHUS
Archiep. Turonen.

PRINTED IN FRANCE   IMPRIMÉ EN FRANCE

2217-1956. — Turonibus, typis Mame.
Dépôt légal : 4e trimestre 1955.